DISSERTATIO POLITICO-JURIDICA DE REGNO HUNGARIÆ, EIUSQUE JURE: QUAM ... PRÆSIDENTE...

Christoph Besold, Wilhelm Artner

Digitized by Google

3
25
543.3

DISSERTATIO POLITICO-JURIDICA

De

REGNO HUNGA-riæ, eiusque Jure:

Quam

DEO TER. OPT. MAX. ADIUVANTE,

PRÆSIDENTE

Nobiliſsimo & Clariſsimo JC.

Dn. CHRISTOPHORO BESOLDO, INCLYTÆ UNIVERSITATIS TUBINGENSIS ANTECES-ſore celeberrimo, & p. t. Rectore Magnifico, Patrono & Pręceptore ſuo, æternâ ſummi honoris obſervantiâ proſequendo;

In Auditorio Juriſconſultorum

Ad diem Julij.

Publicè excutiendam & ventilandam

PROPONIT

GUILIELMUS ARTNER Oedenburgenſis.

1872

TUBINGÆ,
Typis exſcribebat THEODORICUS WERLIN,
Anno CIↃ IↃC. XXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. D. N. I. C.

Diſſertatio Politico-Juridica

DE REGNO HUNGARIÆ, eiusq; Jure, &c.

HUngaria DEI Optimi Maximi Providentia ſingulari, clypeus & arx Chriſtianitatis inexpugnabilis, non immeritò ab Alberto Polono, cum Regnum Hungariæ contra fratrem Uladislaum ſibi vendicare ſatageret, militibus ſuis varijs modis commendata eſt: nimirum à Regionis præſertim bonitate, & opibus incredibilibus, animos militum accendere & confirmare voluit, cum diceret: Hanc eſſe illam Regionem, quam mediam Danubius, tot fluviorum confluxus, incolis percommodus, interſecet, & quæ universi penè orbis felicitatem complectatur: eſſe illam optimorum fructuum feraciſſimam, vinetis ſpecioſiſſimam, equis & cæteris pecoribus affatim abundantem; auri atque argenti, multorumque præterea metallorum ditiſsimam; omnibus denique rebus, quæ non modo ad vitæ uſum ſpectant, ſed & luxum poſsint miniſtrare, inſtructiſsimam. *Ludov. Tubero Comment. lib.* 4. Veriſsima ſane hæc eſſe, ipſa rei evidentia atteſtatur. Eſt namque hæc terra ſumma ubertate ſoli, & rerum omnium copia à natura donata: unde Pannoniam vel à Pane Deo paſtorum, vel à ſoli ubertate dictam arbitrantur. Quamvis alij (quibus Appianus aſſentitur) à Pæone Antari filio, quem Pannona nonnulli dixerunt, Pannoniam nominatam velint. Antarus autem ab Illyrico genitus eſt, quem ex Polyphemo & Galatea natum eſſe ferunt. Quare multi, quam Latini Pannoniam, eam Pæoniam Græcos dixiſſe putant. *Anton. Bonfin. rer. Aung. decad. lib.* 1. *n.*23. Ac quoque panis ab ubertate olim hanc regionem eſſe no-

minatam tradit *Joannes de Tuurotz in Chron. Hung. c. 91.* Hodie eam Hungariam vel ab Hunnis vel ab Hungaris, populo ex Scythia profecto, qui eam incolit, appellari conſtat. *Anton. Bonfin. in append. Joannis Sambuci n. 40. p. 759.* De quo regno, ejusque jure, implorato Divini Numinis auxilio, quantum ingenij vis permittet, cum animus ferat tractare, hancce diſſertationem in tria principalia Membra diſpertiri lubet. Quorum (1.) continebit terram ipſam (2.) perſonas inhabitantes (3.) res geſtas.

MEMBRUM PRIMUM
De ipſa Terra.

Caput I.
De partibus ſive provincijs Regni Hungariæ.

I.

Dividitur Hungaria à Danubio, omnium, quos Europa habet, fluviorum maximo (in Martiana Sylva, & Landgraviønatu Fürſtenbergenſi, juxta arcem Donåſchingen orto) mediam nempe interfluit, atque in citeriorem & ulteriorem ſcindit. *Anton. Bonfin. in Sambuci append. n. 50. p. 759.*

II. Citerior Hungaria Germanis Nider Ungarn / ubi olim Pannones habitârunt: hæc ab ulteriore Hungaria Danubio, & Auſtria & Norico radicibus Cæcij, ſic olim dicti Montis; à Sclavonia Dravo, à Bozna & Raſcia, Savo, fluminibus terminatur. Nam in Locis Danubio propinquis & ad Belgradum ſpectantibus, ad Saviuſque fluminis oſtia cum Danubio excurrit: Walko, Polegam, Sirmium, tres inſignes Provincias, quas comitatus vocant, à Sclavonia divellens.

III. Ulterior ſive ultra Danubiana Ober Ungarn / montibus Carpathijs ſupra Poſonium incipientibus, & longiſsimo flexu ad littus Euxini maris porrectis; à Moravia, Sileſia, Polonia, & Ruſsia diſtinguitur, uſque ad eum locum, ubi Regio

gio eſt, quam Maromaruſiam vocant; ibique iam alij montes & Sylvæ ab eo loco Severinum verſus tendentes à Transylvania & Walachia Tranſalpina ſeparant eandem. *Anton. Bonfin. in appendice Joh. Sambuci n. 20. p. 760.*

IV. Porro hoc nomine regnum Hungaricum multo eſt (vel fuit olim) felicius alijs regnis: quòd nempe nullo externo Dominio eſt intermixtum ſed omnes eius partes, veluti in circulum arctè ſunt continuatæ, de quibus differentem vide *Gaſp. Ens lib. 1. rerum Hung.* Territorium namque unius Regni (quod Politici docent) continuum & non interruptum eſſe debet: diſcontinuatio quippe magnas parit confuſiones, & tempore belli, non ſatis firmum præſidium præſtare Principi poteſt. *Georg. Schönbörner lib. 1. Polit. cap. 12.*

V. Hoc Porrò Regnum ſemper illuſtrius redditum eſt à Divis olim Hungariæ Regibus, qui bello acquiſitas poſſeſsiones in provinciam redactas, in Principatus ac Comitatus erexerunt: unde tàm longè lateque illi dominati fuerunt, ut à Conſtantinopoli marique Pontico, uſque ad Auſtriam & à Polonia uſq; ad ſinum Adriaticum protenderetur, in eius ventre ſeptem ampliſsima Regna claudebantur, quę ab Hungaria feudi vinculo dependebant. Hinc neceſſario quęritur: an Tranſylvania & Walachia ſint partes Hungariæ regni? Tranſylvaniam Regni Hungariæ partem ac feudum eſſe, ab illoque dependere, vel exinde colligere eſt, quod Principes Ttranſylvaniæ, libera Regnicolarum Hungariæ Electione, ad principatus faſtigium evecti ſunt olim, & quoque Tranſylvania à noſtris Hũgariæ Theſaurus appellata fuit. *Georg. à* Reicherstorff *in Chorograph. Tranſylv. n. 50. p. 569.* Accedit & pactum Sigiſmundi Batorei Tranſylvaniæ Principis Anno 1595. Pragæ cum Cæſare Rudolpho II. Auguſtiſſimæ memoriæ tanquam Hungariæ Rege initum, ut ſcilicet Tranſylvaniæ jurisdictio omnis cum alijs Hungariæ partibus hactenus poſſeſſis, penes Sigiſmundum Batoreum à Somlo, eiuſdéq; Hęredes maſculos linea recta ab ipſo deſcendentes primogenituræque jure, prorſus eo modô quô Prædeceſſores Johannes Stephanus, & Chriſtophorus eum Principatum obtinuerunt, remaneret: ita iamen, ut Cæſarem (tum Hungariæ Regem) eiusque legitimos ſucceſſores pro Domino ac ſuperiori

agnoſcere teneatur; decedente ipſo ſine libris maſculis, Tranſylvania eiusque annexæ ditiones, Cæſari & eius ſucceſſoribus Hungariæ Regibus cedant. Quod Sigiſmundus & Provinciæ ordines ſolemni jurejurando confirmârunt. *Thuanus Hiſtor. lib.* 144.

VI. Walachia verò (longè lateque effuſa regio ad ripas Danubij Turcis finitima) olim Hungariæ Regibus obnoxia & tributaria fuit: nunc (proh dolor) ſimul cum Moltavia Turcarum tyrannidi magnâ cum Chriſtianorum jacturâ ſubiecta eſt *Georg. à* Reicherstorff *in Chorograph. Tranſyl. n.* 40 *p.* 585.

VII. Dalmatiam, Croatiam & Sclavoniam S. Ladislaus primus (frater Gaiſæ filius Belæ) Regno Hungariæ perpetuo jure ſubjugavit, qui etiam victor, honoratus, inclytus, Auguſtus cognominatus fuit, non tam nominum proprietate quam rerũ veritate; primus enim adauxit Rempublicam Hungariæ. *Georg. à* Reicherstorff *d. loco.* Sed temporis ſucceſſu ex pluralitate gubernantium, ijsque nimis liberâ poteſtate conceſſa, accidit, ut prædicta Regna, & quidem Dalmatia in totum, Croatia autem & Sclavonia maximâ ex parte in Turcicam & Venetam non ſine æterno & deplorabili Regis & Regni Hung. diſpendio devenerint poteſtatem: multitudo enim dominantium & Regulorum laxa poteſtas, confuſionem potius & jacturam, quam defenſionem & conſervationem ſeu augmentationem, generare conſuevit Imperio alicui magno.

Caput 2.

De fertilitate.

I.

NAturalis Reip. amplificatio eſt, ubi prædominatur natura, quamvis induſtria accedat, ut quando ingenium excolimus ſoli, cum ſterilia loca fructuoſa redduntur, & ſi quæ ſunt ſimilia. *Dn. Præſes Polit. lib.* 2, *cap.* 8, *n.* 77.

II. At Ungaria noſtra, ſui natura, terræ fertilitate nulli ex omnibus penè Europæ Regionibus cedit. Eſt enim Cœlum ibi

Digitized by Google

ibi ſatis temperatum ac mite; & Deus omnium rerum admirabilem copiam non ad voluptatem tantū, verum etiam ſalubrem uſum, huic Regno munificè elargitus eſt. *Dn. D. Thomas Lanſ. in Conſult. Orat. pro Hung.*

III. Agro præſertim gaudet optimo & pingui & ubiq; ferè fertili (quanquam & Martis intemperie, etiam agrorum cultura, & metallorum fodinæ omnia hoſtilia jam tot ætates patiantur) frumentum nullibi creſcit laudatius & copioſiùs, præſertim triticum benignè gignit.

IV. Vinetorum ea eſt excellentia, ut nullibi vinum naſcatur fortiùs: pratorum ea eſt luxuries, ut ob graminis altitudinem præcedentem currum ſæpè poſterius non videat. *Gaſpar. Ens rerum Hung.*

V. Sed de multorum generum fructuum optimorum feracitate, videantur *Petrus Ranzanus in epitom. rerum Hung. Indice 32. n. 30 M. Joan de Tvvroz chronic. Hung. cap. 11. p. 13. Petrus Bizarus de Bello Pannoncio. n 50. p. 471.*

VI. Quid de metallorum divitijs dicam? ultra abundantiam, alibi non ſic inveniendàm: ſcatent ibi terræ viſcera omni genere metallorum, auri & argenti, ac ſalis peroptimi genetrix fæcundiſſima Hungaria eſt. *M. Joan. de Tvvroz. chron. Hung. c. 11. p. 13.* unde *Petrus Ranzan: epitom. rerum Hung. Indice 32. n. 30. ait*: fodinæ in ea ſunt, auri, argenti, æris, ferri, ſalis, plumbi, lapidicinæ multę, albi præſertim, rubrique marmoris: imò totius Hungariæ ſolum varijs in locis, paſſim ſurculos & glebulas aureas gignit. *Paul. Jov. Tom. 2. lib. 13. hiſt.*

VII. Tranſylvaniæ quoque amnes auri ramenta, ubiq; trahere. *Anton. Bonfin.* tradit; quæ auri argenti, vini, & rerum omnium ditiſſima eſt. *Georg. à* Reicherstorff *in Chorograph. Tranſyl. n. 50. p. 570.*

Caput 3.

De fluminibus lacubus, &c. R.H.

I.

AMplum & illuſtre providentiæ Divinæ documentum eſt fluviorum perennitas; ad locum unde exeunt revertuntur, ut iterum fluant *Syrac. 41.* & intrant Oceanum omnes *Eccleſiaſt. 1.*

II. Non

Digitized by Google

II. Non facile dari poteſt Regio, quę pluribus & maioribus abundet amnibus; ut non immeritò veteres Hungari in Regni ſui inſignibus quatuor ductus, totidē præcipuorum fluminum DANUBII, SAVI, DUAVI, TIBISCI imaginem repreſentantes uſurparint. *Georg. VVernher de admirand Hung aquis.*

III. Laus fluviorum præcipua eſt, eſſe navibus ferendis idoneos & piſcoſos; quo in laudis genere, quotusquisque eſt extra Hungariam fluvius, qui illis quos diximus quatuor conferri queat? ut ne quid commemorem de alijs Hungaricis amnibus, qui etſi magnitudine illis minime pares; ſunt tamē non minus ferè admirandi. Nam pręter hoc quod optimorū & ſaluberrimorū piſcium copia affluunt, feraces auri plærique habentur, in ea præſertim veteris Daciæ parte, quam Hungariæ attribui, & Tranſylvaniam vocari diximus, quorum etiam nonnullis ab auro nomen eſt, cuiuſmodi ſunt tres cognomine Chryſi dicti & qui Hungaris vocantur Aranyas, hoc eſt aurei. *VVernher. d. admirand. Hung. aquis.*

IV. Sed ut ad illos quatuor Principes Hungariæ fluvios redeam; etiamſi eorum prima incrementa apud Alemannos, Noricos Carnes præclara ſint nequaquam tamen tantum laudis habent, quantum ij; mox atque ſolum Hungaricum attigerunt conſequuntur; continuò enim & plenius, & ſpatioſiùs fluunt, eoque navi magis habiles ſunt; piſcibus & maioribus, & melioribus magis abundant, imò diverſi generis piſcibus, quibus ferè prima eſt gloria extra Hungariam carent. Verùm de his quorum origines extra patriam noſtram ſunt plura referre ſuperſedebo, de Tibiſco tantum quem Hungaria ſola ſibi vendicat, aliquid dicere lubet.

V. Oritur in Maromaruſio ſub altiſſimis Carpati jugis fonte quidem exiguo, ſed tantis ſubitò incrementis, ut intra tertium milliarium, pro temporis tamen, quod incrementa moderatur ratione patiens ſit navigiorum, quibus ſales evehuntur; habet quidem Hungaria amnes piſcoſiſſimos, qui ex vicinis terris immittuntur, ſed neque inter hos, neq; inter alios, quorum fontes apud Hungaros ſunt, ullus proventu ſuperat Tibiſcum. *VVernherus d. loco.*

VI. Lacus

Digitized by Google

VI. Lacus habet duos nobiliſſimos: Balaton & Fertou, iuxta quem Sempronienſes vineas ſuas ſitas habent. *Petrus Bizarus de bello Pannon n.30.p 471.*

VII. Aquæ calidæ (quarum vix ulla regio plures aut ſalubriores habet) præcipuè prope Trincinum ſeſe nobis offerunt, illæ ſuaviter calent, & ſunt limpidiſſimæ. Aliæ non multum recedunt à Vago, ad arcem Bornioceum, quæ quadam quaſi ciſterna ex quadratis facta lapidibus, qui etiam deſcendentibus, ſcalarum & ſedilium uſum præbent incluſæ ſunt, calidæ quoque ſcaturiunt ad ſtubnam vicum (qui eſt civium Cremnicenſium) & inſtar inſulæ ſunt. Non diſſimiles ſunt his calidę inter Cremniceam & Schemniceam, quę manant ex rupe ſic nata, ita ut lavantibus tectum & umbram præbeant & paſſim aliæ plures pluribus in locis reperiuntur.

VIII. Fontes acidos minime rari ſunt in Hungaria, celebres inprimis duo; unus in comitatu zolienſi ad arcem eiuſdem nominis, cui oppida montana die Bärgſtätten ſubiecta ſunt: alter ad oppidum, cui mons regius nomen eſt, uterq; ſpleneticis manifeſto ſenſu mederi dicitur. *Georg. VVernher. dict. loc.p.600.*

IX. Adhuc alius eſt non longè à Pago Hargka pertinente ad Sempronienſes, cuius aqua niſi ab haurientibus pleno vaſe perferatur domum, ſaporem amittit, & ad ſanitatem mire conducit.

X. Sunt & balnea ſulphuracea iuxta lacum Ferdou ſeu Neuſidler See quem ita vocant ad eoſdem Sempronienſes ſpectantia, ſancto VVolfgango ſacra, quod ibi lavaſſe dicatur.

Caput 4.

De Urbibus, Arcibus, &c. R.H.

I.

MAgna in arcibus imperij conſervandi augendique munimenta eſſe nemo diffidebitur: neque enim ab illo ſolummodo extruendæ ſunt, qui ſuos magis quam externos timet, ut opinatur *Machiavellus tr, de princ, cap.* 110, ſed etiam ab eo, qui

Digitized by Google

externos magis, quam ſuos metuit: nempe adverſus omnem vim tueri ſe poſſit. *Schönb. Polit. lib. 4. cap. 12. p. 23.* Et hinc ferè magnitudinem Reipublicæ ſequuntur, *vid. Kirchner. diſp. 15. th. 3.* Quo etiam reſpicit Imp. noſter Juſtinianus, qui de ædificiorum tum publicorum, tum etiam privatorum magnificentia ac elegantia procuranda leges ferre non neglexit *tot. tit. C. d. ædif. priv. & ſimil.*

II. Obſervatum eſt id politicum præceptum ab Hungaris; quantas enim ibi invenies tàm ſplendidiſſimas urbes, arces ac fortalicia?

III. Ad Hungariæ ſuperioris ortum æſtivum progredientibus occurrit Tibiſcus, cuius fontes ad radicem montis cuiuſdam, qui à frigore nomen habet, monſtrantur, is magno terrarum tractu labens multis amnibus augetur, inter quos præcipuus eſt Samus, qui è Tranſylvania decurrens, peninſulam quandam facit in qua Satmaria (ſatis munitum oppidum, ſita eſt. Ibidem Toccaia viſitur inſulæ ſpecie arx loci natura & operibus firmiſſima. In ſuperiori item Hungaria Caſſovia eſt Urbs cultiſſima multumque veteris adhuc retinens ſplendoris. Inter Marcam fluvium, urbes ſunt, Tyrnavia Iohannis Sambuci viri clariſſimi patria ad Tyrnam fluviolum ſita: infra ad Danubij ripam Poſonium (vel Piſonium ut alij volunt) urbs ſplendida & Epiſcopatu inſignis. Cis Vagam ſunt Golgotia ſeu Eleutheropolis, Nitria aliaque oppidula & caſtella: ſed de alijs Hung. ſuperioris oppidis, arcibus, caſtellisue: pleniùs & planiùs differentes vide. *Anton. Bonſi. in Johan. Sambuc. append. p. 797.* Wilhelm. Dillich in der Vngariſchen *Chronica p. 18. & Gaſpar. Ens rerum Hung. p. 11. & ſeqq.*

IV. In inferiori Hungaria (quæ pars non modo alteri haud cedit, verùm etiam oppidorum frequentia longè antecellit) primum qua Auſtriam contigit; Danubius inſulam facit, quam Cituorum inſulam Ptholomeus, noſtri Scythicam appellant: Germ. Schütt incredibilique fertilitate exultat. Hinc ſtyriam & Viennam verſus Sempronium Regia ac libera civitas eſt ſita, quondam nobiliſſima Romanorũ colonia à quodam Sempronio ducta *Anton. Bonfin.* Germanis Oedenburg / quod quaſi von einer Oeden-Burgck / nomen ſit ſortita. Urbs eſt in valle ſita &

ta & montibus fermè undiquaque circumventa, ampla & alta foſſa; item perpetuis muris tribus, vallis aggeribusque protegitur, validiſſimum ſanè Hungariæ præſidium. Totum etiam ſuburbium quod urbe ſexies maius, primitus muro perpetuo Annis 1615. 16.17. cinctum eſt: quo tempore Nobiliſs. & Conſultiſs. Viri Dn. Chriſtophorus Lackner Conſul, & Dn. Guolffgangus Artner, Patens meus honorandus Quæſtor (vulgo Cammerer vocant) erat.

V. Comora, contra vim omnem valida inprimis arce munita eſt. Paulo ſupra Comoram ad dextrum Danubij brachium contra prædictam Inſulam, Iaurinum occurrit, primarium facile totius Hungariæ munimentum, quod Rabam vulgus appellat, ab Arrabone fluvio, quo alluitur detorta voce. Tria ab Iaurino milliaria Orientem verſus eſt mons S. Martini, in cuius Iugo inſigne monaſterium. Vltra hunc ad meridiem Pappa eſt arx & oppidum. Hinc montes Batonij (quibus noſtrates à clypeis nomen indiderunt Schiltberge. Ad latus horum, quod ad Danubium vergit Doris eſt oppidum quondam nunc arx tantum è ruderibus reſtaurata. Supra hanc Strigonium eſt ad Danubij ripam, Pannonicarum urbium penè vetuſtiſſima, ac nobiliſſima, primatis Epiſcopi ſedes. Infra Strigonium ad tria circiter milliaria Viſegradum eſt, oppidulum & arx eiuſdem nominis, illud ad Dannubij ripam, hęc in colle ſita eſt; ſed arx Tyglo pirgi ſeu cęci Caſtelli appellatione, noſtratibus notior eſt (Blindenburg) Hinc tria circiter miliaria abeſt Buda (Ofen) totius Hungariæ metropolis. Veſprinium Epiſcopali ſede nobilis, inter primarias Hungariæ urbes olim fuit numerata, arcem habet longę amæniſſimam in cole ſitam. Proxime hinc abeſt Alba Regalis: ubi antiquitus Hung. Reges & coronari & ſepeliri erāt ſoliti (Stulweiſſenburg) quorum tumuli in primario urbis templo (quo nullum fuit in univerſa Hungaria vel operis ſtructura ſplendidius vel annuis proventibus locupletius. Inter Savum & Dravum Sigethum eſt oppidum tripartitum, paludibus undique circumfluens, arx inprimis quæ & ipſa duplex eſt, interior & exterior oppido veteri ponte annexa, cui minus oppidulum quod novum dicitur à fronte obijcitur. Hinc quatuor circiter milliaria abſunt quinqueecclesiæ antiquum oppidum. *Gaſpar. Ens rerum Hung. p.* 14.15.16.

Digitized by Google

VI. Sunt præterea alia multa oppida arces & caſtella, quibus Danubij, Dravi, aliorumque minus nobilium fluviorum ripæ prætexuntur; quarum enumerationem gratiâ brevitatis omitto.

Caput 5.

De hominum, aliorumq́ animalium copia.

I.

NUlli Regioni terrarum hæc noſtra Hungaria cedit populoſitate & robore hominum, *Petrus Bizarus de bello Pannon. n.50.p.471.* Quam rem luculentiſſimis documentis evincit *Anton. Bonfin. rerum Hung: decat.1.lib.1.p.*40. ubi inter cętera ait: Et ſi Hungarorum principium penſitare velimus, qui cùm ex Aſiaticâ Scythia in Europam trajeciſſent & in Hungariam devenientes numero extitêre deciescentena & octoginta millia. *Abraham. Backschay in Chron. de Reg. Hung. p.*901. ſed temporis ſucceſſu numerus in infinitum excrevit: niſi ubi bellis continuis, regiones devaſtatæ fuerunt.

II. Pecore tota eſt fęcundiſſima adeò, ut quotannis Viennam citciter ôctoginta præpinquium boum millâ, atque inde in diverſas Germaniæ Regiones agitantur. *Gaſpar. Ens. rerum Hungar.*

III. Equos & abundè & optimos fert: abundat & alijs & quidem multiplicis generis pecoribus propter & Cœli clementiam & paſcua lætiſſima. Et ut paucis multa comprehendam, nullibi gregum armentorumque fructus eſt uberior. *Petrus Ranzon. epit. rerum Hung. indice 31. n.30. Anton. Bonfin. rerum Hung decad.1. lib.1.p.21.*

IV. Ferinæ tanta eſt abudantia, ut venationes & aucupia cuivis licita ſint: ita ut lepores, phaſiani, perdices & quod in Germania in delicijs habetur, ruſticorũ etiam ac plebeiorum familiaris ſit cibus. Aquilæ quidem rarò in Hungaria inveniuntur, ſed anno proximè præterito apud Sempronienſes in ſylvâ Schorndorſiana, aliquot à Ruſticis minimè notæ, & imprudenter pro ſagis habitæ, captę ac à Sempronienſibus Viennam Cæſari miſſæ ſunt.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRUM SECUNDUM.

De Perſonis inhabitantibus.

Caput I.

In quo conſiderantur homines vetuſtiſſimi incolæ, &c.

I.

NOn minus ſcitè quam eleganter Seneca: Aſſiduus inquit humani generis diſcurſus eſt. Nova urbium fundamenta jaciuntur: nova gentium nomina, extinctis prioribus aut in acceſſionem validioris converſis oriuntur, itaque vix invenies ullam terram, quam etiam nunc indigenæ colant; permixta omnia & inſitiati ſunt alij alijs ſuccedunt.

II. Quę frequentiores quam terra Hungaria paſſa ſit incolarum mutationes, haud ſcio an ulla ſit? Ita crebrò & ſubitò, velut undam ſupervenit unda: gens gentem impulit. Eam primo habuere Pannones: Bannon enim primus in Pannonia regnavit & provinciæ nomen dedit: Anno à diluvio CLV. Hi deinde Gręcis Pæones dicti, poſtquam autem Latinis innotuêre, Pannones vocitati ſunt; *vid. Bonfin. in append. Joannis Sambuci, p. 837. n. 20.* Poſtea plurimę nationes hanc Regionem incoluerũt & ſemper potentior ſuperveniens generatio, agri fertilitate allecta infirmiorem aut excellebat aut ſubijciebat. *M. Johan. de Turroz. Chronic. Hung. c. 11. p. 13.*

III. Hunni ex Aſiatica Scythia Anno Chriſti 401. numero decies centena & octuaginta millia, ſoli ſterilitatem populorumque multitudinem cauſata ſub ſex ducibus, Bela, Keme & Kadicha, filijs Chele, de genere Zémen ortis: Item Athila, Keuue & Buda, filijs Bendeguz, de genere Kadar, in Europam traiecerunt, & in Hungariam (quam tunc diverſæ nationes, prę ſide quodam Matrino, aliàs Martino dicto de Sabaria, incolebãt) pervenientes, ad Tibiſci, amnis ripam caſtra ſua fixerunt. Matri-

Digitized by Google

nus audito ignotæ gentis Scy.hicæ adventu, Theodorici de Verona, univerſæ Germaniæ Romanorum proceſſu præſidentis petivit auxilium: & ſic ambo, coacto ingenti exercitu ad Potentianam urbem inter Theten & Zazhalon ſitam conſederunt. Ubi primò per Hunnos, qui ſub Sicambria Danubium adhibitis inflatis utribus transnatarunt, intempeſta nocte miſerrima cæde affecti ſunt atque fugati: qui renatato Danubio ad ſuos pervenêre. In hoc conflictu ex Hunnis cum uno ducum Keuue hominum centum & viginti quinque millia cæſa è Romanis, aliisque nationibus, præter eos, qui in caſtris ſuperiori nocte ceciderant, ducenta & decem millia deſiderata ſunt. Deinde propè Thulnam nunc Auſtriæ, olim Hungariæ civitatem, Matrinus ab Hunnis cæſus occubuit: & innumera multitudo ad internecionem uſque profligata fuit Theodoricus verò ſagittâ in fronte ictus, cum paucis evaſit. Hunnorum quadraginta millia in hoc prælio deſiderata: tres etiam duces, Bela, Keme & Katicha mortem oppetierũt: qui tandem ſolemni pompa ad marmoreã calumnã Kajazo dictam, penes ducem Keme prædictum ſepulti ſunt. Hac Hunni potiti victoria univerſæ Pannoniæ cum imperio præeſſe ceperunt. *Abraham. Bakschay Chron. de Regib. Hung. p.991.* ſed conveniens proximum eſſe videtur, ut de eorum moribus aliquid dicamus.

Caput 2.

De moribus vitæ genere virorum, mulierum & modo belligerandi Hung.

I.

QUoad mores Hungari de priſtina animi ferocia & quam majores coram ultrò affectabant duricie, multùm hodiè remiſerunt. *Gaſp. Ens rerum Hung. p.17.*

II. Cives pallia rubeo, viridi, cerulæo, vel jacenthino colore geſtant: nobilium ſplendidus admodum & ſumtuoſus eſt veſtibus. Mulierum inprimis, earumque mundus præterea magni

Digitized by Google

magni precij eſt & exquiſitus. De quibus omnibus vide Wilhelmum Dillich in der Vngeriſchen Chronica / von Sitten vnd Gebraüchen der Vngern/ ubi copioſiùs hæc tractat.

III. Invictu pariter ab antiquâ parſimoniâ multum deſciverunt Magnates præſertim quorum menſæ & domeſticis & exoticis delicijs abundant.

IV. Hungaria, & ipſi Hungari patroni ſunt & Dij quaſi tutelares totius Europæ, ut loquitur *Bonſin. 19. decad. 4. lib. 4.* Ait enim: cùm diſciplinam militarem moresque ſanctiſſimos, quibus Matthias *H*ungaros educavit, mecum ipſe conſidero aliquandiu in caſtris diverſatus, ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam gentium milites ſpectare licuit caloris & frigoris, item laboris & inediæ tolerantiores, qui ſtudioſiùs imperata faciunt, lubentiùs dato ſigno pugnam ineant, ſe morti promtiùs exponant, item qui militarem ſeditionem magis deteſtentur: in caſtris quietiùs honeſtiùsque vivant, ſeſe religioſiùs agant, tumultus magis abominentur & rixas, colant avidiùs temperantiam & caſtitatem; à blaſphemiâ perjurio, & illegitimâ venere ſint magis alieni, &c: fortitudinis & patientiæ plus ſunt quam Lacedemones. *H*yeme juxtà atque æſtate caſtra frequentant, &c.

V. Equitibus quos *H*uſſaros appellant, arma ſunt: lancea vel coplya, ſablya vel gladius perſicus ad levam; ſub dextro femore pherutrum ephippio alligatum; ſcloperis Germanis Piſtolln nunc temporis quoque utuntur. Præfecti & Centuriones ceſtram ferunt Puſican magis ad cogendos ordines, quam hoſtis arma perfringenda accommodatam.

VI. Pedites (*H*eyducos vel *H*eydones vocant,) nec galeâ nec loricâ utuntur, veſtitu etiam à ruſticis haud parum differunt; arma illis ſunt; ſclopus manuarius aut ſi hic deſit haſta velitaris, ſagaris, & à cingulo dependens ſecuris Schackan vulgò: Sagum villoſum vel crudam urſi aut lupi pellem humeris injiciunt, ſub mento adſtrictam. *Gaſp. Ens. d. loc. VVilhelmus* Dillich *d. loco.* *H*i ad omnes motus ſemper præſtò ſunt. *Johan. Martinus Stella Epiſt. 2. de Turcar. ſucceſſ. p. 428. Thuan. hiſt. lib. 131. p. 1039 Johan. Schlnidan. comment. lib. 18. lit. c.*

VII. Poteſt

VII. Poteſt profectò *Hungaria* idem de ſe dicere, quod *Dn. Præſes* de benè conſtituta Repub. *lib. 2. Polit. cap. 7. n. 3. ait.* quæ Cives pro Patria qui pugnent ſemper habet paratos, vigilantes & exercitatos; hocce præſidio, quaſi muris cincta & firmata, exterorum vicinorumque metum & hoſtium animos ab inferendis periculis avertet.

Caput 3.

De artibus, ſtudijs, lingua & Religione Hungarorum.

I.

STudia literarum virtuti ſerviunt & magnum vel in ea comparanda adjumentum, vel jam parata ornamentum exiſtunt, *vid. Tyrium Maximum diſſert.* 21. Sic virtus & eruditio, tàm benè convenire dicuntur, quam benè gemma in auro includitur, & Roſæ intexuntur lilijs: unde charondas liberos civium omnes literarum rudimentis voluit inſtituendos; conductis ad id publica mercede pædagogis, &c. *vid. Diodor. Sicul. l. 12. Vbi de charonda legislatione.* Quippè namque firma Reipublicæ columna eſt recta juventutis educatio, *Schonb. polit. lib. 4. c. 3.*

II. Quanquam verò *Hungari* omnium ætate armorum ſtrepitu potiùs, quàm literarum ſcientiâ ſeſe exercere ſoliti fuerint: (hincque nec *Hungarorum* vetuſtas ſuarum memoria rerum altum oblivionis in Pelagus defluere permiſit) tamen in eo vel maxime ſemper allaborârunt, quo juventus literarum rudimentis inſtitui queat: unde paſſim, præſertim verò in ſuperiori *Hungaria* florentiſſima errecta ſunt Gymnaſia: & Anno præterito 1623. Sempronienſe Gymnaſium noviter reſtauratum ſolenniterque confirmatum eſt à Nobiliſs. & Ampliſs. Senatu illius urbis.

III. Academia (unde prodeunt, quorum ſcientiam totus illuminatur orbis: *authent. habita C. ne fil. pro patr.*) Vaciæ olim erat auguſtiſſima; jam quod eius Vulcanus reliquum fecit

Mars

Mars ſibi vendicavit. *Caſpar. Enſ. de rebus Hung. VVilhelmus* Dilich in der Vngeriſchen Chronica.

IV. Linguam Hungaricam cum Bohemica multis convenire, tradit quidem *VVilhelm.* Dilich *d. loco.* Si verò accuratiorem conſiderationem illius linguæ inſtituere velimus, obſervare licebit, multa vocabula varijs ex linguis eſſe ſumpta, potiſſimùm ex Latinâ & Italicâ linguâ, in quâ hactenus multa vocabula in eâdem ſignificatione & pronuntiatione cum Hungarica uſurpari adnotavi.

V. Gens Hungarorum antehac idololatriæ dedita ad fidem Chriſti converſa eſt (Anno 1010.) per Giſlam ſororem Imperatoris, quæ nupta Hungarorum Regi, Regem eô adduxit, ut ſe & totam Hungarorum gentem baptizari expeteret, qui in Baptiſmo Stephanus eſt vocatus. Cuius merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat. Ex eò Religioni Chriſtiana cônſtantiſſimè adhæſit. *Sigebertus Gemlacenſis.*

VI. Et certè fundamentum eſt, & columna totius Reip. magnum illud & æternum Numen, neque mutabile, neq; interiturum, ex quô omnia, per quod omnia, in quô omnia, rectè agnoſcere & ſyncerè colere, *Schönb. pol. lib. 3. cap.* 11. Nam (Horatius & Senec. in Thyeſte)

—— —— Vbi non eſt pudor.
Nec cura iuris, ſanctitas, pietas fides.
Inſtabile regnum eſt.

Difficilis hic admodùm occurrit quęſtio. Sæpius lacertis, quàm chartis, armamentis, quàm argumentis agitata: An diverſas in Rep. Religiones eſſe, expediat? Quod & in noſtra Hungaria quoque diſputatum fuit, utpote ubi Catholico-Romana, Lutherana & Calviniana viget. Diverſas autem in Rep. religiones admitti poſſe multorum ſcriptis aſſerta eſt opinio; qui cum Theodorico Rege Gothico religionem liberam eſſe volunt, cum nihil tam voluntarium ſit, quam religio, in quâ ſi animus adverſus eſt, jam ſublata, jam nulla eſt; neminem proinde animis imperare poſſe, ac linguis, cui mentium Rex Deus ſit: corpora obnoxia eſſe, & adſcripta Dominis, mentem quidem ſui juris: quæ adeò libera & vaga eſt, ut ne ab hoc carcere quidem, cui incluſa eſt teneri queat, quò minùs impetu ſuo utatur, & in

 infinitum

Digitized by Google

infinitum comes cœleſtibus exeat *Senec. 3. de benef. c. 20.* Adeoque nemini imponi poſſe neceſſitatem vel credendi quod nolit. *Lactant.* Nec quenquam efficere poſſe, ut quicquam agamus præter animi ſententiam. Ita & laudatiſſimus Heros Stephanus Rex Poloniæ, crebris ſermonibus uſurpare ſolitus eſt: DEUM tria ſibi reſervâſſe, in quibus nec velit, nec poſſit habere parem: Dominari conſcientijs: ſcire futura: & ex nihilo aliquid facere.

VII. Quam libertatem cautam habent, & Hungari *art.* 1. pacificationis Viennenſis Anno Dominicę incarnationis 1606. die 23. Junij: qui ſonat: Omnibus & ſingulis ſtatibus, ordinibus, intra ambitum Regni Hungariæ ſolum exiſtentibus, tàm Magnatibus, nobilibus, quàm liberis civitatibus & oppidis privilegiatis immediatè ad coronam ſpectantibus, item in confinijs quoque militibus regni Hungariæ degentibus, quod in ſuâ religione & confeſſione nunquam & nuſquam turbabuntur, nec per alios turbari permittentur, verùm omnibus prædictis ſtatibus & ordinibus liber Religionis ipſorum uſus & exercitium permittetur.

Caput 4.

Ubi homines conſiderantur quatenus cives, & quoque ſtatus regiminis.

I.

PAnnones antea ſemper liberi ſuis legibus vivebant; ſed Auguſti fortuna eos, ut cæteras orbis nationes Imperio Romanorum adiecit Anno Chriſti 9. deinceps Anno Chriſti 436. exhauſtâ, peſte, Principum impietate dilacerata, undiq;, unâ cum Imperij Romani ruina à Romanorum fide detracta eſt, Conſtantini ergò permiſſu, Wandali proprijs ſedibus à Gothis expulſi eam per 40. fermè annos inhabitârunt. Gothi autem hos, Theodoſio Imperatore Orientali ægrotante, Duce Alatheo & Safra, expulerunt, Pannoniam ex fœdere cum Gratiano inito poſſidentes Anno Chriſti 382.

II. Hunni

Digitized by Google

II. Hunni Duce Keva, Arcadio imperante, Gothis expulſis, Pannoniam pugnâ cruentiſſimâ intraverunt Anno Chriſti 401. Poſt Oſtrogothi Anno Chriſti 458. Dein Andoinus Rex, expulſis Oſtrogothis, regnavit in Pannonia Annos 17. Quem inſecutus Alboinus 25. Donec à Narſete in Italiam vocatus, Hunnis veteribus amicis eo pacto ceſſit, ut, ſi quô tempore Longobardis neceſſe foret reverti, ſua rurſum arva reciperent. Hacque ratione Hunni Anno Chriſti 1067. Pannoniam recuperârunt. Mauritius verò Imperator Pannoniam recepit Auno Chriſti 1104. Unde varijs caſibus ſub Orientalis Imperij jure 240. annos agitata eſt. Anno 1244. Hunni Pannoniam tertiò invaſerunt. Anno Chriſti 1305. Carolus Hunnos ad internecionem uſque delevit fermè: ſed ſub Francis cum per centum annos in Carolinorum fide perſtitiſſent, Arnolphô extinctô Germaniam & Galliam calamitoſam incurſionibus fecerunt.

III. Hodiernum Regnum Anno ab Attilæ morte primo ſupra centeſimum, qui fuit annus à Jesu Chriſti ortu 44. ſupra ſeptingenteſimum. Incepit: quo Sarmatarum ingens multitudo pellecta rebus, nacta quendam rei militaris haud mediocris peritia Hungar non proprio, ſed à patriæ, ubi natus eſt, nomine appellatum, quod latine ſignificat ſtrenuum: natali exceſſerunt ſolo. A parte quâdam Europææ Sarmatiæ, quam hodiè quoque Sarmatę ipſi vocitant Hungariam: idque verum eſſe, eò etiam confirmari poteſt, quod Iohannes Sarmatorum Imperator, quem vocitant Moſcoviæ Ducem: Inter cæteros Principatus ſui inſignes titulos, Hungariæ quoque ſe Ducem appellat; non autem noſtræ huius Hungariæ Ducem ſe dicit, ſed illius Sarmaticę, unde Hungari ſunt profecti, qui Pannonias tenent.

IV. Duce igitur Hungare, quem ea natio ita à patriæ nomine ad æternam rei memoriam vocari voluit, Sarmaticis finibus Hungari egreſſi ſunt: quacunque eis fuit transeundum ferro ſibi aperuère viam, ac ad optatæ tandem terræ pervenerunt fines, quam hoſtiliter ingreſſi atque adverſus incolas bella gerentes, brevi eos perdomûere: ipſam autem Pannoniam priſco mutato vocabulo Hungariam non tantum ab eorum Duce, ſed ex ſe etiam cognominavere. Quod nomen in hunc diem, ut eſt toti orbi notiſſimum, permanet. *Petrus Rantzanus in Epitom. rerum Hung.*

Digitized by Google

V. Eſt tamen quidam Hungaricarum rerum ſcriptor, qui prodidit: nihil eſſe diſcriminis inter Hunnorum & Hungarorum appellationem, ſed latino quidem verbo dici Hungaros, peculiari autem nationis linguâ eandem vocitari tum Magyaros, tum Hunnos. Tradit verò Elinus probatiſſimus Hiſtoricus, qui Anno Chriſti 1272. ſcripſit opus egregium de origine Tartarorum & Gothorum, Wandalorumque, atque Longobardorum, Hunnorum, & Hungarorum: Hunnos & Hungaros eandem fuiſſe gentem, utpote Scythicam, ſeu Sarmaticam, ſed Hunnos fuiſſe cognominatos, à Duce, Hunno nomine, Hungaros verò à Sarmaticâ quadam regione, unde in Pannoniam venerunt, quam ex patriæ ſuæ vocabulo nominari voluerunt.

VI. Firmatum verò tunc primum anno Chriſti 1499. extitit regnum *H*ungarorum, quô tempore Toxis Geyſam filium reliquit heredem, qui orthodoxa fide, quam bellô clarior Stephanum produxit Regem, qui primus ſanctus dictus fuit.

Caput 5.

De Rege Hungarorum.

I.

HUngaros ante Attilam, qui primus illorum Rex extitit, Duces ſaltem habuiſſe, exinde conſtat, quod primò conſederint diviſo in ſeptem caſtra exercitu in Tranſylvania, unde etiam ipſa provincia Siebenburg/ id eſt, ſeptem caſtrorum nomen habet. Poſtquam verò Romanos cruentiſſima pugna vicerunt in quâ *H*ungarorum 40000. deſiderata ſunt, tres etiam Duces Bela, Keme, & Katicha, mortem oppetierunt: Attila omnium conſenſu in primum Regem *H*ungarorum electus eſt & declaratus. *Anton. Bonfin. VVilhelm.* Dillich in der Ungariſchen Chronica *pag.* 40. A quô *H*ungarici Reges initium ſumpsêre, uſque ad hodiernum ſereniſſimum FERDINANDUM II. Ferdinandi I. nepotem, verè pium & felicem Regem, qui Anno 1618. Poſonij in Regem electus & coronatus eſt.

II. Quæri

II. Quæri hic poteſt, & quidem haud inconvenienter: An Rex *Hungar.* ſuperiorẽ habeat Imperatorem, vel Pontificem Rom.? Omnia media adminiſtrandi, quæ pro Rep. neceſſaria exiſtunt, qui habet, facultatem & gubernandi, & omnes curas gubernationis pro Reip. ſalute diſponendi, is primus eſt, & ſuæ quaſi originis: quippe cùm à ſuperiore nullo dependeat, niſi à ſolo Deo, qui eam proximè antecedit, & eius vicem obtinet in hoc mundo. Deus enim transfert & ſtabilit regna. Inde pie olim Rom. Imperatores & Reges Deorum providentia: hodierni Dei gratiâ (von Gottes Gnaden) ſe conſtitutos ſcripſerunt, & adhuc ſcribunt. *VVeſenb. adprinc. proem. inſt. n. 3. Bodin. lib. de Rep. cap. ult. n. 177.* Vnde patet Regem *Hungariæ* nec Imperatorem nec Pontificem Roman. ſuperiorem habere.

III. Nec Pontifex Romanus, nec Imperator ut Imperator Rom. ullum jus habet in Regnum *Hungariæ*, ratio clara eſt ex antè dictis qui enim nullum jus ſuperioritatis in Regem habet, nec jurisdictionem aliquam ei tribuere aut adimere poteſt. Si regnum à Solo Deo conſpirante eligentium conſenſu venit, certè nullum beneficium adeſt, cuius intuitu fidelitas juretur ſuperiori. Incongruenter ergò Pontifex Romanus exigit quò ad temporalia fidelitatem, quam & exegit ab Ungaris anno Domini 1309. cum conſtitutione terribili promulgatâ, nobiles regni anathematis vinculo innotaret. *M. Joh. de Turoz. Chron. Vng. p. 189.*

IV. Et licet porrò Imperium ſummum ſive Maieſtatem plenariam habeat Imperator, nec ideo univerſi mundi Dominus eſt: Ita ut ei de jure cætera omnia in mundo quæ ſunt, ſubdita eſſe Imperia verâque Maieſtate carere cenſeamus. *l. 4. C. de Comertiis Clariſſ. D. D. Bocer de regalibus Cap. 2. n. 102.* Sicque *Hungari* tempore Abæ Regis, à Cæſare guerrarum & diſcordiæ ſeminatores, qui ad illum confugerunt, reperierunt, ita ut Cæſarem oportebat eos dare in manus Abę Regis *Hungarorum*. *M. Joh. de Turoz. Chron. Hung. p. 136. & 137.*

Digitized by Google

Caput 6.

De Electione & Coronatione Regis Hungarici.

I.

REgnum *Hungaricum* electivum eſſe (quamvis à nonnullis aliquoties ſucceſſio jure hæreditario prætenta ſit) colligendum eſſe videtur, ex Oratione Gratulatoria Iohannis Waradienſis, Epiſcopi ad Uladislaum Regem, in qua inter cętera hæc erant formalia: Salve Uladislae, Rex inclyte, ſalve moderator & rector noſter unicę. Si conditiones acceperis, fauſta & felix Maieſtati tuæ *Hungariæ*que ſaluti ſit iſta ſalutatio, quandoquidem te Regem nobis non tàm hereditario jure liberaque noſtra eligendi poteſtate, provinciarumque omnium ſuffragijs, quàm divino conſilio & juſſu datum arbitramur.

II. *Hinc* antiquitus comitatus Peſthienſis locus fuit apud univerſos Vngaros fama inclytus, quod in eius agro eligi Reges conſueverunt. De quorum Comitiorũ ratione & vetuſto more novi Regis creandi, videatur. *Gaſpar. Ens rerum Hungar. p.*18. *Petr. Ranzan. Ep. rer. Vngar. n.*40. *p.*207. *Paulus Jov. tom.*2. *lib.*28. *p.*269.

III. *Hodie* comitia potiſſimùm Poſonij vel Tyrnaviæ celebrantur. Ferdinandus vero I. qui in Regem *Hung.* eſt coronatus Albæ, anno Chriſti 1527. Sempronij Comitia, ſive ut vocant, Diætam habuit, quam etiam civitatem magnis privilegijs donavit, ubi & Ferdinandus ſecundus D. G. Rex noſter Clementiſ. 1622. Diætam regni celebravit, in quâ ipſius Auguſtiſſima conjunx ritè & ſolenniter in Reginam *Hungarię* eſt coronata.

IV. Albæ olim, quę propterea Regalis dicta eſt, omnes Reges *Hungariæ* coronati ſunt, de quo fuſiùs *Gaſpar: Ens. rer. Hungar. p.*18.

V. Diadema apud *Hungaros* ſacrum olim in arce Vicegrad, quæ in radice montis poſita eſt, aſſervabatur. *Petrus Rantzan.*

Digitized by Google

Kanzan in Ep. rer Hung. p. 207, antiquiſſimorum procerum more per manus tradito *Paul. Jov. tom.* 2. *lib.* 28. & etiam proceribus duobus Diadema hocce in Cuſtodiam eſt demandatum, de quorum fidelitatis juramento *vid. Concord. Hung.* inter ſereniſs. & glorioſiſsimos Principes & Dominos Rom. Imperatorem; & Rom. Ungariæ Regem, &c. Auguſtos ex una, & ſereniſs. Ungariæ & Bohemiæ Regem, inclytumque Regnum Hung. ex alter: Poſonij concluſa Anno 1491.

Caput 7.

De Jure Hungariæ Regis.

I.

STatum mixtum eſſe, nemo negabit, ubi poteſtas, perſonalisq; Maieſtas limitatur aliquomodo legibus fundamentalibus: Sicut autem in natura rerum mixtum ſequitur naturam ſimplicis; ita quoque in Imperijs & formis Reip. mixtis accidit, ut nempe ſequantur naturam ſimplicium formarum *Keckerman. ſyſtem. pol. lib.* 2. *p.* 563.

II. Et ſic quoque Rex Hungariæ nihilominus Monarcha eſt, licet in Principalioribus regni negotijs nihil agere ſoleat ſine ſcitu & conſenſu Optimatum ſeu ſtatuum. *In renovatione L.L. Hung à Matthia Corvino An.* 1486. *M. Joh. de Thuurotz. Chron Hung. cap.* 84. *item* Wilhelm Dillich in der Vngariſchen Chron. *p.* 143. *Bonfin. rer. Hungar. decad.* 2. *lib.* 5. Et juramentum quo ſe Rex ſimpliciter ad bonam, rectamque adminiſtrationem obſtringit, in abſolutiſſima etiam monarchia locum tueri poſſit, vel ex eò apparet: quod Trojanus Imperator populo juravit apud Dionem *libr.* 68. *fol.* 273. *Bodin. l. d. Rep. cap.* 9. *n.* 93.

III. Maieſtas enim duplex eſt, realis ſeu Imperij (quæ in conſtituenda) & perſonalis (quæ in adminiſtrenda Rep. conſiſtit) *Herman. Kirchnerus diſp. de Rep.* 2. *Th.* 3.

IV. Cùm ergo Maieſtas Imperantis, ab Imperij Maieſtate, tanquam fundamentum à fundamento diſtinguatur: Inde fit,

Digitized by Google

ſit, ut Maieſtati Imperii, imperantis Maieſtas tanquam ſuperiori adſtringatur, eam Maieſtatem, legesque eiuſdem etiam is, qui imperat, ne quid Reſp. capiat detrimenti comiter obſervare tenetur. *vid. Cornel. Bertram. in lib. de Polit. Jud. c. 2.* Et ſanè in Rep. Judæorum, Monarcha quoque erat & ſtatus mixtus, qui ſtatus optimus, & generi humano accommodatiſſimus eſt, & minimè obnoxius mutationibus videtur, ſicut fuſe probat *Richter: Axiom. 57.*

V. Rex Hungar. tempore Electionis & coronationis Regno tum etiam optimatibus totum Regnum repræſentantibus juramento ſe obſtringit, cuius fermè hæcce formula, cùm divinis auſpicijs me ad regendam Hungariam evocatum eſſe ſentiam, inprimis teſtor DEUM O.M.&c. Deinde vos omnes, qui nunc adeſtis, me juſtitiam, leges & pietatem, pacemque omnibus cum Sacro ſanctis, tùm prophanis, cæterisque hominibus qui qualiscunque fortunæ perſonam gerunt, & ſub mea ditione ſervantur, quantum in me ſitum eſt, & fideliſſimi Senatus conſulto fieri poteſt diligentiſſime, & integerrimè ſervaturum: Eccleſiarum jura tutaturum & Antiſtibus Proceribusque noſtris debitum ſemper honorem impenſurum, illud poſtremo toto corde ac ſummo ſtudio enixurum, ne quid unquam detrimenti Reſp. temerè patiatur. Hæc in admota propius Evangelia ritè jurat, ut dicta jurejurando & rata & firma ab omnibus habeantur. *Anton. Bonfin. rer. Hungar. decad. 4 lib. 10.* Parili ratione Proceres & optimates Regni ſe edicta Regis ſervare, imperataque facere & ubique grata Regi, pręſtare obſequia juramento ſolemni pollicentur, &c.

Caput 8.

De Statibus Regni Hungar.

I.

STatus hic duplices ſunt Eccleſiaſtici & Seculares

II. Eccleſitſtici ſunt: Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, &c.

III. Archie-

III. Archiepiſcopi, Principaliores duo ſunt: Strigonienſis & Colocenſis.

IV. Epiſcopi numero ſunt duodecim: Hungaria enim duodecim habet Epiſcopatus opulentos: adeò, ut major eorum numerus cum principibus & copiis militum & proventuum amplitudine, ubertateq; fructuum facilè poſſit comparari. *Galeothus Martius de dictis & factis Matthiæ cap.* 11. *n.* 56. *p.* 370.

V. Sunt & multæ Abbatiæ & præſertim, quæ Divo Martino ex Pannonia oriundo dedicata eſt, in monte Pannonico (uti vocát) ordinis Beati Benedicti, Archiabbatia vulgò appellatur. Cùm ejus Abbas dignitate univerſis qui ſunt in Hungaria Abbatibus antecellat. *Item d. loc.*

VI. Habentur etiam Archiepiſcopi, Epiſcopi, ut principes & in conſilio Regi quoq; aſſiſtunt. *Galeotus Martius de dictis & factis Matthiæ d. loc.*

VII. Hîc quæſtio quædam pullulat: an ſcilicet juriſdictionem ſecularem habeant? Quod quidem affirmatur; ſed tamen reſtrictiorem & certis in locis & in certas perſonas & nonnunquam ſine territorio; quod clareſcit ex legibus fundamentalibus Hungariæ à Corvino, Matthiâ, procerum, nobilitatisq; conſenſu, Anno 1486. Latis *Anton. Bonfin. rerum Hung. Decad.* 4. *lib.* 7.

Caput 9.

De Juriſdictione, quam Rex in Eccleſiaſticos habet.

I.

JUriſdictionem plenariam Regem Hung. in Eccleſiaſticos habere, ex jam allegatis legibus colligere eſt: adeſt verò alia quædam lex itidem à Divo Matthia ſancita: qua decimarum controverſiæ ad Regnum & è Romano Foro, ad Regale tribunal revocavit. *Bonfin. d. loc.*

II. De bonis ipſorum Eccleſiaſticorum, quæritur an ea Regis ſint? Jus patronatus in Regno Hungariæ, ſolum modo

Digitized by Google

penes Regem reſidet idq; *part.1.tit.2.* In collationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum ſimul cum Juribus poſſeſſionariis (uti vocant) ad Eccleſiam DEI pertinentibus conſiſtit. Rex *Colom.* 5.7.8. *Sigiſ. Maieſt. art.* 63. Inde ipſorum bona ſunt beneficia Regni & Rex poteſt ea deferre, cui velit, ſed præſcitu & conſenſu Regnicolarum ferè utitur, præſertim ſi majore beneficia ſint conferenda; utputà, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Præpoſituræ &c.

III. In Jeſuitarum introductionē & receptionē in Regnum Hungariæ, vigore pacificationis Viennenſis *art.* 8. Hungari ita conſenſerunt, ut in Regno jura ſtabilia & poſſeſſionaria non habeant & poſſideant.

Caput 10.

De ſtatibus ſecularibus.

I.

INter ſtatus ſeculares principaliori loco ſeſe nobis offert Palatinus, qui primam à Rege habet dignitatem *Bonfin. de rebus Hung.* Iſq; prætorio præfecto aut majori domus comparari poteſt. Eligitur à cæteris ordinibus in comitiis more antiquitus conſueto; ac in negotiis Regni arduis diſponendi & concludendi authoritas non exigua penes eum reſidet. *Ex artic.* 3. *Viennenſi die* 23. *Menſ. Junij Anno* 1606. Ille ſupremus eſt judex curiæ Regni Hung. à quo & prothonotarii pendent, quorum quatuor ſunt & principaliores Judices indigitantur. *Bonfin. dec.* 4. *lib.* 7.

II. Penes Palatinum quoq; eſt jus promulgare generalia regnicolis comitia, in quibus ſtatus ſimul congregati libertatem habent conveniendi & in communē conſulendi, & omnia in Rep. præter morem & modum inducta revocari & in meliorem ſtatum redigere poſſunt: inde & Imperij calumnæ vocantur.

III. Plurimi in hôc Regnô habentur conventus, quorum generales ſunt & ſpeciales.

IV. Generales, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Prælatorum, Principum, Baronum & nobilium, principaliorum comitatuum der Geſpanſchafften.

Digitized by Google

V. Huc refero & Octavas, quæ ad inhibendam judiciorum æternitatem promulgatæ ſunt, ut cauſæ in quatuor Octavis definiri debeant, ultra prorogare non liceat, tribus ergò tantum Octavis indultæ prorogationes, in quartis autem cauſæ definiri debent. *Bonf. d. loc.*

VI. Speciales ſunt; Baronum commitatuum nobilium principaliorum; ut in Tavernicorum ſedibus &c.

VII. Status Regni etiam ſunt, qui apud Regem, apudq; Hungaros gradus habent, quiq; dicuntur curiam Regalem frequentare: Palatinus ſupremus Judex curiæ, poſt hunc Perſonalis, qui præſentiam Regiæ Majeſtatis refert, Generalis totius Regni, Regalium Magiſter, Theſaurarius & Generales receptores proventuum Regalium & aliarum quarumvis contributionum, partium cis & ultra Danubianarum. Aulæ Regiæ Præfectus Secretarius, Cancellarius Protonotarij cubicnlariorum & Pincernarum Ianitorumq; Magiſtri &c.

VIII. Alij verò, veluti Tavernicorum Magiſter, Banusq; Sclavoniæ, inter ordinarios Regalis fori Iudices non adnumerantur. *Bomfin, rerum Hung. dead. 4. lib. 7.* Fungitur enim Banus auctoritate, tàm in bellicis, quàm politicis, à ſolo Hungariæ Rege immediata; Reliqui verò tàm confiniorum, quàm reliquorum officiorum magiſtratus ab ipſo Rege ſuam habent deſcendentiam.

Caput II.

De Magnatibus ſuperioris & inferioris Hung. & de nobilibus & eorum in ſubditos iure.

I.

Viri magnifici olim apud Hungaros plures ſummæq; potentiæ ac nobilitatis, fuerunt qui pro patriæ recuperatione & defenſione, omnes fortunæ caſus ſubivere: Comes Nicolaus Ziynius Croata, Nicolaus Kadobith, Bartholomæus Horbath, Emericus Werbecius, Andreas Bathori, &c.

Digitized by Google

II. Stemata illuſtriora & hodie ſunt Traskoiithiana ſ. Trakoſtian Zriniana, Rako Zriana Thurzoniana Iſtvanffiana Palſiana Battjaniana BanfyanaSeztſchianaRhedeyana Forgatshiana Somogyana Doczyana Nadaſtiana Eſterhaſiana, &c. qui omnes paribus juribus ac libertatibus gaudent. *part.* 1. 3. *&* 9. *part.* 2. *tit.* 11.

III. Nobilitas quæ meritò etiam inter fundamenta Regni collocatur. *Kekerma. polit. lib.* 7. *n.* 4. Egregia ſanè & maxima in Hungariâ invenitur. Habet enim nobiles magnificos, qui jus habent æquè, ut Barones *M. Joan. de Tunroz Cronic. Hung. cap.* 79. *pro.* 83. Nec tenentur Regi extra Regnum ſine pecunia militare, *Juris Hung. part.* 2. *tit* 14. Imo etiam multi nomine dicuntur. Hinc ad comitia quoq; vocantur, & inter imperij ſtatus referuntur: qui & majorum ſucceſſione ſuis vel vicis, vel arcibus & caſtellis, vel oppidis dominantur, *Petrus Ranzan in Epiſt. rerum Hung. pag.* 204. Atq; hi in ſubditos ſuos vitæ neciſque jus habent clientes verò liberiores ſunt, & indultis libertatibus ac immunitatibus gaudent, de quibus videatur lex apud Bonfin *in ll. fund. Anno* 1486. *Lata.*

Caput. 12.

De iure comitatuum civitatuum &c.

I.

COmitatus ſunt Regni partes, quas & provincias aut præfecturas, aut Græca voce, quâ pleriq; Latinorum uſi ſunt Nomarchias dixere. Plinius conventus & Juriſdictiones & conventus Iuridicos in diſtributione Ciliciæ & Beticæ Hiſpaniæ appellare videtur. Cicero vocat diœceſes, quod nominis nunc Epiſcopi in appellatione [illegible] iuriſdictionum (quam quam corrupte) uſurpant.

II. Hi conventus vel comitatus, partim à civitatibus, partim ab Hungarorum ducibus nomen aſſumpſere *Bonfin. deca.* 1. *lib.* 1. Hincq; comitatus dicitur Sempronienſis, non à Sopronio Urbe, ut vulgus pronunciat; Sed à Sempronio, ut doctiores credunt: Nam opinantur Sempronium virum nobiliſſimum.

nonum, Romanum illic eduxiſſe Coloniam. *Petrus Ranzan Epitom. rerum Hung. pag.* 205.

III. Horum comitatuum præfecti vocantur Hungaris comites ſeu Yſpan. Germ. Geſpan / quibus Iuriſdictionis cura incumbit, una cum judicibus & juratis aſſeſſoribus, quos habent.

IV. Fuit autem Regnum Hungariæ, quo facilior & expeditior eſſet juris dicendi ratio, in comitatus plures quam quinquaginta diviſum, exquibus vix dimidium hodiè retinemus *Georgius Vvernherus de admirandis Hung. aquis, pag.* 595. Horumq; ſeries ordine recēſetur apud Petrum Razan, *Epitom. rerum Hung. pag.* 205. Qui una cum Regiis ac liberis ut & montanis civitatibus Hungarica ſcita ſervant & ſecundum veteres conſuetudines judicant.

V. Subditi inferiores, jure Hungarico in terris quas colunt præter laborum mercedem nil juris habent, *part.* 3. *tit.* 30. Indè ruſticus prædium abalienare non poteſt; ſed in caſu defectus ſeminalis & hæredum legitimè ſuccedentium Domino per teſtamentum illud legare tenetur.

MEMBRUM TERTIUM.

De rebus geſtis.

Caput I.

De inſingnibus cladibus & rebus fortiter geſtis Hungarorum.

I.

Nos hoc loco virtutes Hungarorum magis excelſas & hæroicas magisq; armatas, quàm togatas imus ſpectatum. Et quid ni primo loco ſpectemus octo Imperatores, quos magnos & Auguſtos terrarum orbi felici ſydere peperit Hungaria? Imperatorem Decium laudat antiquitas: quod in eo virtutes cum ætate creverint. Heros ille Decius fuit Pannonius. Aurelia-

nus victor ſtatura is procerus & nervis fuit validiſſimis; adeo q́ manu ſua in bellô Sarmatico unâ die 48. interfecit, plurimis autem & diverſis diebus ultra nonagintos & quinquaginta, ut hâc de causâ pueri etiam cantilenas componentes, ad numeros diebus feſtis millitariter ſaltitarent: mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus: unus homo mille, mille, mille decollavimus, mille, mille, mille vivat, qui mille, mille, mille occidit. *Flavius Vopiſcus.* Imperatorem probum nemo improbaverit, niſi qui ipſam prob tatem; is ita ſe in toga & in militia geſſit, ut res ipſa nomen ſequeretur: Orbem pacavit judicia bonorum de ſe admirabili virtute confirmavit; pace terra mariq; parta, dicere ſolitus. Milites minime neceſſarios fore, cùm deſunt hoſtes. Pannonius etiam eſt Imperator Diocletianus. Pannonius fuit & Iovianns Auguſtús, quo imperium favore militari delatum abnuente quod ſe gentilibus nolle imperare diceret, milites Chriſtianos ſe eſſe clamaverunt. Pannonij ſunt Valentinianus & hujus frater Valens atq; filius Gratianus; qui verò plura geſſerunt fortiter.

——— quam qua comprehendere dictu,
In promptu mihi ſit.———

II. Quid dè Ladiſlao I. qui Cunis bis cæſis, Rutenîs domitis, victis Polonis, dum extreman in Saracenos cum aliis Chriſtianis principibus parat expeditionem, in ipsô apparatu deceſſit, rerum geſtarum magnitudine maximis Regibus par, morum integritate & innocentia vix ulli comparandus.

III. Quibus præconiis Matthiæ primi illuſtriſſima facinora enarrabo? O quantus heros Matthias ille! ille orientis & occidentis terror, ille victorioſi Hunniadis filius tanta ipſius ſunt facinora, ut Mahometes ille Conſtantinopoleos expugnator, omnium prope gentium victor, qui duobus & triginta annis duo magna imperia evertit [illegible] duodecim regna acquiſivit & [illegible] ducentas urbes vi cepit ſucceſſorumq; ejus filius Bajazetes æquiſſimis legibus pacem petierint, Iſto Mahomete Sultano inſuper, cùm is aliàs omnibus ſe Regibus, qni eſſent aut unquam fuiſſent belli gloriâ anteponeret; hunc invictum Matthiam, quem ſtrenui Principis nomine dignabatur ſemper excipiente. Vix Maximus novus hic Alexander militem legerat, jamq; locum

eum belli tenebat. Vix hoſtem invenerat & jam urgebat; vix pectora viderat jam terga cedebat. *nobiliſſ. & clariſſ. D. D. Thomas Lanſius in conſult. orat. pro Hungaria.*

IV. Clades inſuper quas alijs intulerunt Hungari inſignes, infinitæ ſunt; Anno Domini DCCCC. X. Saxoniam & Thuringiam vaſtaverunt. Anno DCCCC. XVII. per Alemanniam in Alſatiam, & usq; adfines Lotharingiæ pervenerunt. Anno DCCCC. XVI. Totam Franciam Alſatiam, Galliam & Alemanniam igne & gladio everterunt. *Reginonus Monach. in Analib. Rerum Germ. lib. 2.* Accedit huc nunquam, ſat laudatum facinus Nicolai Zrynij, qui fortiter pugnando ſub Sigetho totius Sclavoniæ fortiſſimo propugnaculo Turcicorum equitum octodecim, Ianitſcharorum ſeptena millia ad internecionem usq; profligavit. *Petrus Ranzan in Epitom. Rerum Hung.* quam multa præclara quoq; fortiſſimus ille heros Sigfridus Collenitzius geſſerit notorium ſat ſuperq; eſt: reliqua enumerare ad Hiſtoriam ſpectat.

Caput. 2.
De pijs, doctis, & prudentibus Viris Hung.

I.

HUng. ut ita & nunc non ſolum Chriſtianæ fidei graviſſimos Doctores inter illos longè eminentiſſimos B. Martinum Turonenſem Epiſcopum virum plane Apoſtolis conferendum, & divum Hyeronimum, propter ſanctitatis & doctrinæ magnitudinem inter confeſſores & Magiſtros Eccleſiæ relatum & nuper Andream Dudithium, Epiſcopatui, ſimulq; ſummis honoribus divitijs & ſublimæ aulicæ vitæ valedixerat, ut ab omni ſtrepitu alienus, ſuis ſtudijs in tranquillo unicè vacare poſſet: Verum etiam præclariſſima ingenia ſcientijs literis inſtaurandis & exornandis nata!, bono publico feliciſſimè eduxit.

II. Rex Stephanus, inter Sanctos relatus, qui præterquàm quod Chriſtianæ Religionis capita ita tenebat, ut vel ipſos miſtagogos docere poſſet, nihil unquam aggrediebatur ut

non-

Digitized by Google

non præcipua aliqua divini numinis obſervantia in omnibus ejus dictis & factis eluceret, ſanctè perſuaſus, ſi vel latum unguem à Iuſtitia & pietate deflexiſſet, continuo ſe cum Regno corruiturum.

III. Quid de Andrea ſecundo; qui educatione liberorum fælix, ex quibus Eliſabetham Ludovico Thuringiæ & Haſſiæ Landgravio collocavit in matrimonium, ob incredibilem vitæ ſanctitatem ſanctorum numero poſtmodum adſcriptam; bello item Syriaco gentis gloriam novis decoribus mirificè illuſtravit?

IV. Ludovicus totam ſuam felicitatem ponens in Deo à quo cuncta bona procedunt, ſuum principatum ac regiminis auram illi ſubmittens; non paſſione ac voluntate cupiens principari; velut cuſtos Iuſtitia exiſtens abſq; ratione legis nihil voluit attentare: quia vigens induſtria & regnativa prudentia, virtualiter dominatur gubernatione regni ſecundum rationem & legem diligentius circumſpecta pollens regimine naturali non inſtinctu humano, ſed potius divino, ſui deſiderij propoſitum adhoc inclinavit, ut ſequens ſanctorum Regum prædeceſſorum & patris ſui veſtigia, in quibus peramplius & perfectius vigebat; Zelus fidei & religio Chriſtiana regna ſua terras & ſubjectas ſibi nationes in ſuis libertatibus, conſuetudinibus & legibus in bona pace & tranquillitate conſervavit: maximè quos in fide domino regeneravit: & ab omnibus æmulorum inſidijs & incurſibus, præcipuè autem paganorum victorioſiſſime dedefenſavit: nec non etiam Eccleſias Regni ſui in ſuis Iuribus & liberatibus tenuit & in temporalibus bonis augmentavit.

V. Producerem literatos, qui vel in privata fortuna penè Principum gloriam in re literaria amplificanda ſuperarunt. Equidem Iohannes Sambucus Tyrnavienſis, profeſſione medicus, eam in veteribus libris colligendis diligentiam adhibuit, eam liberalitatem in publicandis declaravit, ut magnatibus qui hac re laudem conſecuti ſunt debeat æquari, quod Nonnus Dionyſiacorum ſcriptor Ariſtænetus, Eutropius, Heſſichius Illuſtrius, & alij ejus beneficio editi abunde teſtantur.

VI. Inprimis tamen memorandum hic puto quod Matthias I. victorioſi magni Hunniadis filius, feliciſſimo conjugio

Digitized by Google

jugio armis literas permiſcuit: quarum ſtudijs quicquid à cæteris Reip. negotijs ſupererat temporis impendebat: inter cœnandum, vel prandendum, vel liber legebatur, vel doctorum ſermones varijs de rebus audiebãtur. Negabat ille, Regem aut Ducem abſolutæ virtutis famam adipiſci poſſe, niſi literarum præſidio munitus, omnis ætatis inſtituta militiæ, ipſaq; antiquorum ſtratagemata hiſtorijs percalleret. Hic ſubſiſtendum temporis brevitas monet. Deus benignus & miſericors ſoſpitet sereniſſimum Regem noſtrum FERDINANDUM, & Regnum hoc noſtrum omni bellorum flammâ quàm clementiſſimè eripiat, paceq; aureâ jugiter donet, quo Reip. adminiſtratio ad illuſtrandum divini nominis gloriam, ad promovendum publicum ſubditorum commodum, deniq; ad æternam animarum ſalutem dirigat: fiat, ô fiat!

CORONIDIS LOCO ſubiungo.

I.

AN jus Romanum obliget etiam alias nationes? N.

II.

Ad nuptias liberorum requiritur conſenſus parentum, non ſolùm de jure civili, verùm etiam de canonica æquitate.

III.

Is, cujus culpâ incendium ortum eſt, tenetur ad emendationem damni etiam vicinis.

IV.

Res potiùs eſt reliquenda, quàm fur fugiens, nec corpus noſtrum offendere cupiens, occidendus.

V.

Injuriæ propulſatio naturalis eſt juris, approbata à Iure gentium & civili.

VI.

Contra vim, à quocunq; illatam, defenſio eſt permiſſa, etiam contra furioſos, mente captos, noctuambulones, &c.

VII.

Homicida eſt, qui fœtum humanum nondum editum necavit, partumúe abegit: adeoq́; Ordinariâ homicidij pœnâ dignus.

VIII.

Filius, ob neglectum patris in contrahendis nuptijs (cum honeſtâ & familiæ non ignominiosâ) conſenſum, exhæredari non poteſt.

IX.

Juramentum illicitas & invalidas conventiones non confirmat.

X.

Quapropter Iurans non revelare ſecreta, ſi in teſtem producitur, poteſt ea absq; perjurio revelare.

XI.

Qui mandavit leviter vulnerare, prohibuit autem expreſsè occidere, ſi mandatarius non ſolùm vulneraverit; ſed occiderit etiam, non tenetur de homicidio.

XII.

Effluxio ſanguinis interempti, quæ fit preſente accuſato, non facit indicium ad torturam.

XIII.

Digitized by Google

XIII.

Quando quis à pluribus vulneratus eſt, nec poteſt ſciri, cujus ictu perierit: non omnes vulnerantes poſſunt puniri ordinariâ L. Corn. pœnâ.

XIV.

Provocatus ſi injurioſa verba dixerit, multùm excuſatur.

XV.

Reus damnatus ad ultimum ſupplicium, capitali pœnæ non eſt ſubtrahendus, etiamſi à puella in matrimonium petatur.

XVI.

Fur rupto laqueo incolumis interram deciſus, denuò ſuffigi debet.

XVII.

Pro tribus furtis parvis laquei ſupplicium irrogari poteſt: licèt in eodem loco aut territorio patrata non ſint.

Epigramma

Ad Præſtantiſſimum Virum-Iuvenem:

Dn. GULIELMUM ARTNERUM, de jure Hungarico publicè diſſertantem.

DE Jure Hungarico *dum diſſeris ore diſerto;*
Laudem, ARTNERE, *tibi non paris exiguam.*
Quòd ſi Romanum parili ratione reſolves
Jus: tua, crede mihi, gloria maior erit.

Deproperabat benevolentiæ ergô,

Johannes Harpprechtus, J C. & Anteceſſor in Acad. Tubing. ordinarius.

FINIS.

99 9 4C34

Digitized by Google